

NACHWEISE AUS ALFONS HECKER, *EPISTOLA CRITICA AD F. G. SCHNEIDEWINUM V. CL. PARS SECUNDA, IN: PHILOLOGUS V (1850)*

mitgeteilt von César Guarde-Paz

De Laertii Diogenis fontibus, KGW II 1.84, Z. 33 – KGW II 1.85, Z. 32:

Iam novam neque minorem proponimus quaestionem: quis hic fuit Diocles, cuius liber Laertio non ex aliorum memoria notus est, sed ipse ad manus fuit? Quando floruit? Cui addictus erat philosophiae disciplinae?

Nihil nobis respondent Ionsius, I. Vossius, C. Muellerus¹. Hoc unum scimus eum Magnesiae esse ortum: utra in urbe ortus sit, disceptari non potest, quamquam Heckerus Batavus confidenter Magnesium ad Sipylum sitam intellegit. Neque certius est, quod idem homo doctus suspicatur e schola Pergamena eum esse profectum. Toto vero caelo erravit cum ille tum Panzerbieterus in Iahn. Ann. Suppl. V. (1837) p. 219,² quod eum c. 200 a. Ch. n. floruisse dicit. Ex eis enim quae disputavimus apertum est eum post Posidonii discipulos sed non longo intervallo i. e. in priore primi p. Chr. saeculi parte floruisse. At unde ille Heckeri error? Excitantur apud Laertium Sotionis Διόκλειοι ἑλέγχοι: hunc Sotionem sumpsit Heckerus, non demonstravit non fuisse diversum ab illo διαδοχῶν scriptore Alexandrino: sumpsit idem hos Διοκλείους ἐλέγχους referendos esse ad Dioclem Magnetem. Quae res paucis transigi potest. Ille enim Sotion, qui Διοκλείους ἐλέγχους scripsit, ex eorum erat numero, qui maledictis eos insectantur, a quibus de bonorum finibus aliisque philosophorum opinionibus dissentiant. In libro ita ut diximus inscripto id egit, ut Epicuri vitam moresque invidia obrueret. Quo libro cum Dioclis cuiusdam sententias impugnaverit, hic Diocles inter Epicuri amicos habendus est. Atqui idem statuo de Diocle βίων φιλοσόφων scriptore: qui Epicuri eiusque scholae temperantiam victusque simplicitatem luculentis laudat verbis. Ergo eundem esse Dioclem in aperto est, qui philosophorum vitas scripserit et qui Sotionis odium inimicitiasque lacessiverit. Vnde efficitur ut Dioclis memoria reconcinnata Sotionis aetatem assequi possimus. Contra Heckerus de uno solo illo Sotione Alexandrino διαδοχῶν scriptore cogitandum esse sumpsit atque inde Dioclis aetatem certis terminis circumscribere conatus est. Iam etiam hoc apparet, cur Dioclem Pergamena adductum scholae finxerit.

¹ Vgl. Johannes Jonsius Holsatius, De Scriptoribus Historiae Philosophicae Libri IV, Francofurti 1659 (BN), IV.II.17, S. 333: "DIOCLES Magnes περὶ βίων Φιλοσόφων *de vitis Philosophorum* scripsit: quibus libris suam Historiam saepe numero Laertius illustrat: quippe quos citat lib. II *Xenoph. Aristip.* lib. VI. *Antisthene bis Diog. bis, Crat. bis, Menippo, Menedemo*, l. VII. *Zenone, Chrysippo bis*, l. IX. *Pyrrhone bis*, l. X. *Epic.* Omnino idem est Diocles ille Magnes, cujus libros ἐπιδρομὴν τῶν Φιλοσόφων citat Laertius l. VII. *Zen. Tertium* eorum laudat. l. X. *Epic.*"; Gerhard Johann Voss, De historicis graecis libri tres, Leipzig 1838, S. 429 (BN): "Etiam Dioclis Magnesium libri περὶ ἐπιδρομῆς Laertio memorantur VII. 1, 48. 2, 162. X. 11, atque apud eundem II. 6, 54. adducitur Diocles ἐν τοῖς βίοις τῶν φιλοσόφων, sive, ut apud eundem legitur II. 8, 82, ἐν τῷ περὶ βίων φιλοσόφων. Atque ex his libris sunt quae ex Diocle narrat VI. 1, 12. 13. 2, 20. 36. 5, 87. 91. 8, 99. 9, 103. VII. 4, 166. 7, 179. 181. IX. 11, 61. 65. X. 12". Karl Wilhelm Ludwig Müller, *Fragmenta historicum graecorum*, Paris 1841–1870, 5. Bde., enthält Diokles von Magnesia nicht.

² Friedrich Panzerbieter, *Kleinigkeiten*, in: *Neue Jahrbücher für Philologie und Paedagogik Suppl.* 5 (1837), S. 211–226. – Im Original (Rhein. Mus. NF XXIII (1868), S. 638) schreibt Nietzsche ".“ nach der Seitenzahl.

Vgl. Alfons Hecker, *Epistola Critica ad F. G. Schneidewinum V. Cl. pars secunda*, in: *Philologus V (1850)*, S. 414–512, S. 433:

Quod autem Sotionem viginti quatuor libros successionum scripsisse affirmavi, nititur coniectura, nam disertim librum vicesimum tertium laudat Diog. L. I. 1. 1, ex altero loco Diogenis ducta, Hic enim in Epicuri vita X. 4. citat Sotionem ἐν τοῖς δώδεκα τῶν ἐπιγραφομένων „Διοκλείων ἐλέγχων“ ἃ ἐστὶ περὶ τῆς κδ'. In nuperrima editione legitur; ἃ ἐστὶ περὶ τοὺς εἰκοσιτέσσαρας. Sed hoc sane subabsurdum, quod duodecim libri fuerint numero viginti quatuor. Corrigendum ἃ ἐστὶ περὶ τῶν εἰκοσιτεσσάρων. Viginti quatuor libros Διαδοχῶν scripsit Sotion, et contra Dioclem qui item Vitas philosophorum scripsit (v. Diog. L. II. 54. 82. al.) – quique fortasse duplicem ob causam Sotioni adversarius exstitit, quum Magnesia ad Sipylum oriundus in aula regum Pergamenorum vixisse adeoque in perpetuis illis Alexandrinorum et Pergamenorum dissidiis Sotioni parum favisse videatur, idque eo magis quod Sotion Peripateticus erat, Diocles Epicureus fuisse videtur, quum Epicuri mores a Sotione reprehensos (Diog. L. X. 4) summis laudibus extollat alter (D. L. X. 11) – duodecim libros, quibus adversarium petiit et sententiam suam propugnavit.

De Laertii Diogenis fontibus, KGW II 1.115, Z. 21–29:

Postquam docuimus fuisse in Hermippi βίῳς etiam indices, restat ut de ratione quae inter hos βίους et Callimachi πίνακας intercesserit, disseramus. Vt a Callimacho proficiscamur, eum constat e Suidae testimonio πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν confecisse in libris CXX. In quo numero quae vis insit, miror quod nemo, ne Wachsmuthius quidem, exponit. Toto vero caelo erravit, qui hunc numerum nescio quibus caussis motus in κ' καὶ δ' mutandum esse censuit in Philol. vol. V. p. 433³.

Vgl. Alfons Hecker, *Epistola Critica ad F. G. Schneidewinum V. Cl. pars secunda*, in: *Philologus V (1850)*, S. 414–512, S. 433⁴:

Numerus autem librorum viginti quatuor monstrat Διαδοχᾶς illas fuisse Lexicon secundum ordinem literarum dispositum. Ita Theophrasti libri Νόμων κατὰ στοιχεῖον κδ' Diog. L. V. 45. unde in V. 26. ubi Aristoteles scripsisse traditur φυσικῶν κατὰ στοιχεῖον λή [sic], Casaubonus coniecit: κδ'. Equidem malim: μη', ut facillime τριάκοντα et τετταράκοντα confunduntur. Vix opus est ut moneam me hoc ita intellectum velle, ut Aristoteles scripsisse putetur Physica priora et posteriora vicenis quaternis libris. Eandem ob causam apud Suidam v. Καλλίμαχος, quem scripsisse ait πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν ἐν βιβλίῳς κ' καὶ ρ' reponam legitimum numerum librorum catalogi: κδ'.

De Laertii Diogenis fontibus, KGW II 1.120, Z. 17–21:

Verum ut difficilem illum Laertii locum expediamus: non fere plus quam duarum litterarum mutationem nobis sumimus et unius vocis supplementum, si hoc a Laertii manu profectum esse conicimus: τοῖς Μελεάγρου τοῦ καὶ αὐτοῦ γενομένου κυνικοῦ.

³ Cf. KGW II 1.99, Z. 11, wo Nietzsche den Titel des Aufsatzes abgekürzt liefert.

⁴ Ohne den Titel und mit unrichtiger Seitenangabe ist in Opere di Friedrich Nietzsche, Scritti giovanili 1865–1869. A cura di Giuliano Campioni e Mario Carpitella, Mailand 2001, S. 693 zu finden.

Vgl. Alfons Hecker, *Epistola Critica ad F. G. Schneidewinum V. Cl. pars secunda*, in: *Philologus* V (1850), S. 414–512, S. 434⁵:

Sed scribendum potius: κατ' ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ καὶ αὐτοῦ κυνικοῦ γενομένου.
Vocabulum quod revocavi, facile propter similitudinem syllabarum καὶ αὐτοῦ omitti potuit.

⁵ Ohne den Titel, aber mit Seitenangabe („A. Hecker, in ‚Philologus‘, V, 1850, P. 434“) ist in *Opere di Friedrich Nietzsche, Scritti giovanili 1865–1869*. A cura di Giuliano Campioni e Mario Carpitella, Mailand 2001, S. 694 zu finden.